

Dialectice.

7. Notiones secundæ sunt conceptus primis conceptibus impositi; sive nomina nominibus rerum arte imposita, ut *Genus, species, causa, effectum, syllogismus, enunciatio, &c.* (entia rationis) dicuntur à scholasticis Nomina secundæ impositionis, secundæ intentionis.

8. Rerum verò omnium classes & genera continet series Prædicamentorum.

9. Series Prædicamentalis est omnium rerum per distinctos ordines certo gradu facta dispositio.

10. Gradus Prædicamenti est distinctio, qua inferius à superiori dignoscitur.

II. Ejusmodi gradus sunt Prædicabilia.

De

PRÆDICABILIBUS.

Prædicabilia sunt tituli vocabulorum communium, qui ostendunt, quæ vocabula, quomodo aliis attribuantur.

Sunt autem hæc: Genus, Species, Individuum, Differentia, Proprium & Accidens.

I. GENUS

est nomen commune multis speciebus: & prædicatur de eis in quæstione, *Quid sit?* ut *cum queritur: Quid sit equus? respondetur: est animal.* Alias definitur, Genus Universale, cui species subjicitur.

A S

Genus